

# PRÆSIDENTE D. M. VOLFGANGO

SEYTENTHALER RATTISBONENSI RESPONDEBIT

ad sequentes positiones Nathanael Balsmannus Torgensis, D. Ioanne Lorichio Hadamario Decano.

86

## DISPVATATIO.

### QVAESTIO MORALIS.

#### V. VIRTVS SIT FINIS HOMINIS, AN VOLVPTAS?

**H**Aec questio oritur inde, quod uitæ humanae diuersa genera deprehenduntur.  
Aristoteles n. in Ethicis cap. 5. constituit tria uitæ genera: Voluptarium, Politicum, & contemplativum.  
Voluptarium est, cum homines nihil, nisi uoluptates querunt. Magna pars n. hominū uiuit belluino more.  
Politicum est, cum homines præstantiores uiuant in gubernatione, & militia, i. in toga, aut in armis.  
Contemplativum est, cum homines, omisso negotijs Imperiorum, & parcus frumentis uoluptatibus  
subierunt discendi, & docendi labores, ut Plato, Pythagoras, & similes.  
Alij uitam hominum complectuntur duobus generibus tantum, Et appellantur alterum Actuum i.  
cuius finis est actio, Alterum contemplativum. 1. otium in literis, & exercenda pietate, medi-  
tandis, magnificiendis, & acquirendis rebus diuinis, ac æternis..  
Varia igitur recitantur opiniones de fine hominis, Ac tres præcipue sunt: Prima de uoluptate, secun-  
da de uirtute, postrema de scientia.  
Virtus est habitus, qui inselinat uoluntatem ad obediendum recte rationi, uel secundum Philosophum:  
Virtus est habitus procreticus, hoc est alia preferendi alijs in mediocritate consistens pro sapientia  
iudicio, quo ad nos. Sic etiam definit Horatius: Virtus est medium uitiorum, & utriq; res-  
ductum.  
Quo ad definitionem primam, Dicimus uoluntatem esse uim expetentem, & refugientem obiecta.  
Quo ad secundam, Constituimus cum Aristotele quatuor actionum principij gradus: d'evōτia, λόγος  
δέξια, & προαισχυνη.  
d'evōτia est inclinatio nature sine iudicio, ut Democritus est natura uehemens in utramq; partem sine ius-  
dicio, &c.  
δέξια est desiderium, siue appetitus, cum homines sine iudicio assentientes opinioni expetunt aliquid,  
aut refugiunt.  
λόγος est mentis iudicium de bonis, & malis, expetendis, & fugiendis incorruptum quasi, ac sanum.  
προαισχυνη est delectus, & uelut compositum quiddam ex ratione, & appetitu.  
Et hec recte propterea tribuitur uirtuti, cum uirtus non sit quiddam naturale sine iudicio, nec persua-  
sio, aut opinio, nec simulatio, sed cum iudicio, & libera electione habitus.  
Virtutem igitur, siue operationem uirtutis cum Aristotele finem hominis esse afferimus:  
Illud. n. est finis præcius iuxta communem Philosophorum consensum, ad quod ratio, & præstantia  
Naturæ humanae ultro fertur sine respectu aut utilitatis, aut uoluptatis.  
Repudiandus est itaq; & explodendus Epicuri, Lucretij, & aseclarum error, qui sentiunt uoluptatem  
esse ultimum finem hominis.  
Facit. n. ut nihil inter hominem, & pecudem intersit, ac uirtus uoluptati seruat, appetitioni, & cupidi-  
tibus mens, & ratio pareat, quod nihil est aliud, quam trahibous à curru, quod aiunt.  
Est autem uoluptas cum quadam lubrica suauitate ad illicita sordidae mentis inclinatio, uel est iucundus  
motus in sensu. &c. Cicer. Lib. II. de fin.  
Quare cum Peripateticis sentimus, ut supra positio. XVI.  
At secundum promissionem Euangelij prorsus aliis finis est, ignotus, & absconditus rationi, & Philo-  
sophie, puta cognitione, & celebratio Dei, quod apposuisse non est omnino absurdum. Philosophia  
enim moralis, que constat certis demonstrationibus, est pars legis diuinae.

Ingolstadij Mensi Octobri  
Anno Domini 1549.



## QVAESTIO PHYSICA.

### V. OMNIA FIANT FATO, NEC NE?

- I      **H**Ac questio oritur ex diuersis opinionibus Philosophorum de Deo, de prouidentia, de necessitate, contingentia, fortuna, casu, &c.  
II     Academici docebant nihil in toto orbe esse certi. Hi certitudinem rebus tollebant.  
III    Epicurei fingebant similiter Deum, oiosum esse, & plane hominum actiones nihil curare, ac omnia casu quodam fieri. Tales prouidentiam negabant.  
III    Stoici causarum ordinem, & connexionem sic extenderunt, & usq; adeo amplificarunt, ut etiam causam primam i. Deum, secundis causis alligarent, & contingentiam rerum sustulerint.  
V      Primum de Fato ipso, & uocabuli significatione dicemus.  
VI     Alijs, n. fatum significat prouidentiam Dei, seu ordinationem occultam homini, uel uoluntatem Dei pos-  
sitam extra preiudicium hominis, qua Deus agit modo secundum, modo contra causas naturales.  
Hec ex parte cum Theologorum predestinatione consentit.  
VII    Sed Philosophi aliter loquuntur de fato. Intelligunt enim seriem causarum, & effectuum necessario co-  
hærentium &c.  
VIII   Et pro diuersitate opinionum inter Philosophos, Triplex assignari fatu potest: Astrologicum, Stoicum,  
& Physicum.  
IX     Fatum Astrologicum est, quod ex astrorum motu, lumine & influentia, tanq; causis remotis, dependet.  
X      Stoicum fatum est firma primæ, & secundarum causarum, ac debitorum effectuum, & eventuum, ne-  
cessario cohærens connexione, imponens rebus omnibus necessitatem absolutam. Ponunt. n. Stoici ua-  
rios motus, & eventus pendere, & fieri ratione mixtorum corporū. Motus autem mixtorum cor-  
porum fieri ex elementis, Elementa gubernari à Sphaeris celestibus, Sphaeras coelestes dependere  
à motu primi mobilis, Primum mobile haurire efficaciam à prima causa, Primam autem causam  
necessario cum secundis non posse non agere.  
XI     Et licet Philosophi sex causas causarum, & eventuum enumerent: Primam Deum, 2. primum mobile,  
3. influentias Sphaerarum, 4. Elementa, 5. corpora mixta, 6. motus individuorum naturales, &  
voluntarios, Et hic ordo frequens sit in Natura, Tamen Deum non esse isti catena alligatum pie-  
mentes, & Philosophi saniiores docent.  
XII   Est ergo fatum Physicum connexio, & perpetuus ordo causarum, & effectuum dependens à uoluntate,  
& prouidentia primæ causæ necessitatē rebus fatalibus imponens ineuitabilem:  
Hec uox non tollit Contingentiam, nec etiam προαισχυνη, Et uidetur cum Philosophia, & pietate  
maxime consentire.  
XIII   Prudentia est scientia Dei certa, in animo eius constituta ab ætherno de his, que olim facta, & futura  
sunt, uel est diuina ratio, seu scientia in summo omnium Principe Deo constituta, que cuncta præ-  
terita, & futura uidet, & cognoscit.  
XIV   Contingentia est uis, & inclinatio, qua res aut possunt esse, aut non esse.  
XV   Necesitas autem est triplex: Absoluta, seu consequentia, Probabilis, seu consequentia, & Physica:  
Absoluta necesitas, seu consequentia est, cuius oppositum simpliciter est impossibile, Talis est tantum in  
quibusdam propositionibus de Deo, ut Deus est, Deus est iustus, misericors, &c.  
XVI   Probabilis necesitas, seu consequentia est, cum aliquid, alio posito, probabiliter, et Dialectice sequitur,  
cum tamen antecedens poterat non fieri, & erat de materia contingentia. Ut. Si quis dicat: Cicero  
fuit Consul, Ergo eius contradictriam necesse est impossibile esse.  
XVII   Physica necesitas est, cum aliquid naturaliter sequitur, ut Sol orietur, Ergo lucebit.  
XVIII   Quare non sunt audiendi Academici, qui certitudinem ex Natura tollunt.  
XIX   Vitanda est etiam Epicureorum opinio, qui similiter prouidentiam, & causarum connexionem euer-  
tent, omniq; casu uolui, & confundi afferunt.  
XX   Tollenda est etiam Stoicorum opinio, qui dum pertinaciter causarum connexionem defendunt, co ntin-  
gentiam tollunt, Sentientes omnia necessario fieri, Deum esse alligatum causis secundis, nec posse  
aliter mouere, quam, ut ferunt cetera cause, item uoluntatem humanam necessarijs, ac co gentibus  
fati vinculis ad turpiter agendum impelli.  
XXI   Cum tamen Deus sit minime obnoxius fato, aut fatali necessitatē, Imo posse cuertere omnes causas cum  
fato, & necessitate fatali.  
XXII   Teneatur itaq; Aristotelis, & aliorum sententia, etiam sacris literis conueniens: Omnia quidem secun-  
dum prouidentiam Dei fieri, ac eueniare, Multa etiam fato, ac necessitate fatali, pleriq; tamen in li-  
bero arbitrio, & electione hominis consistere, ac in fortuna, & casu sita esse.

VOLFGANG  
DENSISI RESPONDENT.  
D. Ioanne Gottipio Hagnaueri Decano.

PRESIDENTE D.  
SOCIETATIS  
DISPATATIO.  
VERSTIO MORALIS

Digitized by srujanika@gmail.com